

lotamen deinceps non vendatur, — non fatiendo aliquam foveam, et colligendo ipsum lotamen, et si fieret aliqua fovea, contrafatians cadat ad penam centum sold. par. pro qualibet persona contrafatiente. ¶ Preterea ordinamus quod illi de contrata Riburgi facere debeant duos pontes, quorum unum ad Ianuam Salinarum alium ad ianuam de super circa domum illorum de Agolantibus, et illi de contrata Cavane facere debeant duos pontes, scilicet unum pro qualibet ianua posita supra ipsam ripam in contrata Mercati. ¶ Et portantes immunditias ad dictas ripas proicere non debeant ipsas immundicias ante ianuas positas ad dictas ripas, nec circa dictos pontes in capite ipsorum pontium, sub pena centum sold. par. pro qualibet persona contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Insuper nulla persona audeat lotamen fodere in platea nova post palacium comunis cum aliquo ordeigno, nisi solum modo agrimare lotamen ipsius platee cum manibus, vel cum scopis scopare, sub pena sold. viginti par. pro qualibet ¹⁾ persona contrafatiente.

Cap. LXXVI. Rubrica de castellatis conducen-
 279B tibus uvam et aquam. //

Ordinamus quod quelibet persona, que conducet tempore vindemiarum uvas vel aquam in civitatem Tergesti in castellatis super curibus, habere debeat et tenere castellatam, que castellata segomari et bulari debeat per iustitios comunis cum bulla comunis, et si qua castellata reperiretur non esse bullata vel non esse tenute dicte quantitatis, conburatur dicta castellata, et nichilominus dominus castellate conponat comuni sold. quadraginta par. pro qualibet chastellata. ¶ Iustitiosi comunis habere debeant pro bolatura et segomatura cuiuslibet castellate .i. sold. par. et non plus recipere debeant, sub pena viginti sold. par. pro qualibet chastellata et vice qualibet contrafacta.

¹⁾ quolibet.